



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punct. Diff. 3. An potuit præfiniri Redemptor, ante prævisum absolutè
peccatum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

videretur absolute futurum; secus verò ipsa culpa Adami. Ergo non erit, cur similiter non prævideatur VERBI Incarnatio, ut absolute futura, in remedium peccati.

RESPONDETUR. Negando consequentiam: quia si prævideretur periculum lapsus postero- rum absolutum, non prævisio absolute, quòd Adam sit constitutus caput, prævideretur effectus sine suo principio: cum periculi absolute, principium absolute, sit absolute constitutus, caput, Adamus; jam autem quamvis decerneretur incarnatio independentem à peccato absolute prævisio, idq; sub conditione, si homo caderet: non potest ostendi, quòd esset effectus, ut ita dicam, sine suo principio; nam esset decretum conditionatum ex prævisio conditionate peccato, licet non ex prævisio absolute.

Quod autem dicit, periculum lapsus totius humani generis, non potuisse prævideri, nisi prævideretur auxilium Adamo concedendum nonnisi sufficiens: & tamen tunc jam prævideri debuit peccatum, ut absolute futurum: id etiam non vincit: nam periculum lapsus absolute danda gratia sufficienti, jamq; tunc absolute prævidebatur peccatum; sed periculum lapsus conditionatum prævideri potuit, data etiam nonnisi conditionate gratia: hæc autem conditionata prævisio ingrediebatur motivum de Incarnatione: consequenter formari illud potuit, sine absoluta prævisione periculi lapsus. Dicit etiam posset, quòd periculum lapsus in particulari Adami, in quantum caput est, spectet nonnisi ad quartum signum: decreta autem incarnationis in secundo signo.

OBJICIT 5. Idem. Nisi universum genus humanum videretur absolute peccaturum, non oportuisset VERBUM sibi copulare naturam creatam: etenim si contingeret Adamum non peccare, minus convenienter facta fuisset humiliatio & exinanitio divinitatis: quia licet unio hypostatica afferat summam excellentiam naturæ assumptæ, tamen non decuit nisi ob causam magni momenti id fieri, & quidem cui aliter subveniri non possit: sicut nec decet ut Rex assumat habitum rustici ad illum ordinem nobilitandum; licet id decet, si regno aliter subveniri non possit.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum: quia etiam peccante genere humano, videtur hoc esse inconueniens, quia illi aliter subveniri potuit, nempe misericordie condonatione: & sicut non decet, ut id vitâ redimat Rex, quod verbo facere potest: ita nec videtur convenire, ut redimat genus humanum Deus, ob absolute prævisum etiam peccatum, cum ei aliunde providere posset. Rursus sufficit ad hoc justificandum, quòd sit decreta Incarnatio, ex prævisione futuri sub conditione peccati, quod futurum sub conditione, non potest non esse. Deinde convenientia hæc Incar-

nationis posset rejici in dignificationem Dei per actiones Theandricas, & in formalitatem capitis.

OBJICIT 6. Idem. Periculum labendi in peccatum, vel non labendi, non sufficiebat, ut Deus absolute decerneret Incarnationem; cum enim posset Deus post prævisam absolute culpam, æque facile decernere Incarnationem: non est cur absolutam prævisionem peccati, non expectaret; sicut nemo ante morbum parat medicinam, si post morbum æque habet ad manum, parare illam.

RESPONDETUR. Potuisse quidem Deum nonnisi post prævisum absolute peccatum decernere Incarnationem; sed non decrevit ob rationes supra allatas. Unde, & hic, qui parat medicinam, si illa simul possit habere rationem doni, rationem excellenter decorativi, non debet expectare quousq; sit ægritudo, sed illam ante prudenter parare potest, & offerre: jam autem Incarnatio, habet & rationem medicinæ, & rationem doni glorificativi, gloriæque allativi.

INSTAT. Si aliquot, vel plures homines peccassent, sed non totum genus humanum, non fuisset facta Incarnatio, nec decreta: Ergo nec decreta est ob solum peccatum prævisum sub conditione.

RESPONSUM jam, negando antecedens.

OBJICIT 7. Idem. Vel ipsum mysterium secundum se, independentem à remedio peccati, fuit motivum sufficiens Incarnationis, vel non? Si 1. non est cur hoc mysterium distulisset, aut cur non est productus Christus cum dono impassibilitatis, auferendo, quando illum pati oporteret? Si non erat sufficiens, ruunt à nobis superius allata.

RESPONDETUR. Fuisse hoc motivum sufficiens & totale, non per exclusionem similis, sed per exclusionem de se insufficientis; non venit tamen in ante Christum, quia pro sua libertate non decrevit Deus, sicut nec de adventu cum impassibilitatis dono. Et sicut decreta Incarnatione in remedium peccati absolute prævisi, per oppositos, non venit Christus in primo, vel secundo centenario, sed pro libertate divina, adventus est dilatus: sic & in præfenti.

Punctum Difficultatis 3.

An potuit præfiniri Redemptor, ante prævisum absolute peccatum?

PECuliariter contra hoc disputat Aldrete disp. 20. convellendo 3um motivum supra allatum.

OBJICIT 1. Si præfiniretur Christus ut redemptor ante peccatum absolute prævisum, sequeretur, quòd voluntas illa, per quam Deus

appli-

applicat sincerè media ne peccet Adamus, applicaret media, ut poneretur objectum, frustrans illam voluntatem efficacem, nam defectus ille peccati Adami & posteriorum, esset frustratio illius efficacis voluntatis Christi ut redemptoris; quælibet enim efficax intentio frustratur, dum redditur impossibilis executio, obiecti intenti.

RESPONDETUR. Defectus absolutus peccati Adami, esset frustratio illius efficacis voluntatis Christi ut redemptoris, si fuisset prædestinatus ut redemptor absolutè. Concedo: defectus absolutus peccati Adami, esset frustratio illius efficacis voluntatis Christi ut redemptoris, conditionatè decreti. Nego: Potest autem dici sic fuisse decretum Christum. Explicatur distinctio. Dupliciter potest intelligi Christus decretus Redemptor, ut supponitur, Curativus: primò absolutè; & sic, si ante prævisum absolute peccatum fuisset decretus redemptor curativus, posset permitti in hac sententia, quòd sequeretur debere inducere Deum in peccatum, ne frustraretur illud decretum. 2. Potest intelligi Christus decretus redemptor curativus sub conditione, si homo peccaret: quæ conditio verificatur, quamvis non peccet actu absolute, & si verificatur, potest Deus sincere adhibere media, ne illa conditio purificetur, ne sit absolute peccatum: nec per hoc frustrabitur decretum, quia manebit hæc adhuc illius objectum, nempe conditionatum peccatum, à quo curasset, si possum fuisset. Alià vià eidem difficultati fiet satis sub finem.

INSTATI. Impossibile est Deum efficaciter velle illam redemptionem, & pariter applicare media sincerè, ne detur illa redemptio, quia intendetur efficaciter hic finis, & applicarentur media, ut ponatur alter finis contradictorijs.

RESPONDETUR. Impossibile esse, Deum efficaciter velle redemptionem curativam absolute, & applicare media, ne sit curativus absolute redemptor: sed potest efficaciter velle redemptionem curativam, sub conditione, & tamen applicare media, ne sit curativus absolute redemptor; finisque contradictorius redemptoris curativi sub conditione, non est, redemptor non curativus absolute, sed redemptor non curativus sub conditione. Addo, applicando Deus media, ne sit peccatum absolute, potest adhuc velle redemptorem curativum sub conditione.

INSTAT 2. Nequit quis seriò præbere consilium, ne ponatur medium requisitum ad finem, quem efficaciter desiderat: Deus autem consilium præcipitque, ne fiat peccatum, requisitum ad redemptionem: Ergo ante prævisionem culpæ ut absolute futuræ, non intendit efficaciter illam redemptionem.

RESPONDETUR. Quòd ante illam prævisionem, non intendat absolute redemptorem

absolutum, intendat tamen redemptorem conditionatum: si autem tantum conditionatè illum vult, potest adhuc efficaciter oppositum præcipere & consulere.

INSTAT 3. Deus plus amat carentiam peccati, quàm aliquid impossibile cum tali carentia: Ergo Deus præbens auxilium Adamo ut non peccet, plus amat carentiam peccati, quàm poenitentiam absolute loquendo.

RESPONDETUR. Concedendo totum. Sed cum hoc stat, ut ante peccatum absolute prævisum, velit poenitentiam sub conditione, si peccet: item ut velit sub conditione redemptorem.

INSTAT 4. Deus efficaciter præintendens Christum ut redemptorem, & poenitentiam Adami ante prævisum peccatum, si daret auxilium efficax impediens peccatum, frustraretur illius intentio.

RESPONDETUR. Negando frustrandam intentionem redemptoris sub conditione futuri: quia ille non attendit ad peccatum, absolute futurum. Quòd autem dicit, posse, cum intentione efficaci finis, conjungi complacentiam erga finem oppositum, non tamè conjungi duas voluntates efficaces oppositas; verum est. Sed etiam hæc oppositæ voluntates non conjunguntur per nos; velle enim efficaciter quantum ex Deo, & curare ne sit absolute peccatum, non est voluntas opposita voluntati, quæ appetit sub conditione redemptorem.

INSTAT 5. Difficulus percipitur, quomodo Deus habere possit intentionem efficacem Christi ut redemptoris, cum voluntate inefficaci carentiæ peccati, nam illa volitio inefficax intendit frustrationem prioris voluntatis.

RESPONDETUR. Bene posse percipi intentionem efficacem Christi, ut redemptoris curativi sub conditione, cum voluntate inefficaci carentiæ peccati; quia hoc ipsum, quòd velit sub conditione, est signum, quòd nolit ipsum peccatum.

Quando autem sub finem inibi addit, quòd qui vult finem, vult virtualiter ea, quæ necessaria sunt ad finis consecutionem, ad voluntatem autem finis, qui est redemptor, necessarium requisitum, est ipsum peccatum, absolute futurum; non convincit. Nam ex dictis colligitur, quòd redemptor curativus sub conditione, non requirat peccatum absolute futurum; ipsum autè peccatum sub conditione futurum, requiritur quidem, sed tanquam præsuppositum à defectibili libertate, ponibile sub conditione, ex cujus præsuppositione, tum primum præceditur ad redemptorem curativum sub conditione.

OBJICIT 2. Si Deus ante prævisam culpam, præfiniret efficaciter Christum ut Redemptorem à culpa, non poterat non velle formaliter peccatum: deberet enim velle auxilium inefficax, quia est utile ad consecutionem illius fi-

nis : sed non est utile ad hoc, nisi interventu peccati.

RESPONDETUR. Antecedens esse verum, si id faceret Deus non ex prævisio & præsupposito conditionato peccato, etiam per ordinem ad volendum efficaciter redemptorem curativum sub conditione, deberetque velle auxilium inefficax, quia est utile ad consecutionem illius finis, casu quo absolute decretus fuisset redemptor curativus, non prævisio absolute peccato.

INSTAT 1. Cognitio repræsentans bonitatem objecti ad cuius executionem movet, non inclinat nisi ut ametur illa bonitas, quod pluribus probat: Ergo si cognitio utilitatis huius auxilii ad finem pœnitentiæ movet Deum, hoc ipso amabitur, quia est utile ad pœnitentiam: quod non stat, nisi ametur ipsum peccatum.

RESPONDETUR. Concedo totum: sed nego ex vi illius decreti, quo decernitur ex præsuppositione conditionati peccati, conditionatus redemptor, debere Deum moveri in conferendo auxilio inefficaci hoc motivo, quia est utile, ut sit redemptor curativus.

INSTAT 2. Non posse Deum intendere Christum ut redemptorem ante prævisum peccatum, quin, ex vi talis affectus in finem illum, se determinet Deus ad eligendum auxilium reipsa inefficax.

RESPONDETUR. Assumptum esse verum, si fuisset decretus absolute redemptor curativus, ante prævisum absolute peccatum; unde consequenter conceditur, si ametur absolute auxilium, ut utile ad finem Redemptoris curativi absolute, nequibit non amari ipsum peccatum; sed nego ideo amari: Nego item, ex prædecreto sub conditione redemptore curativo sequi, quod debeat eligi auxilium inefficax, quia utile ad pœnitentiam, cum nolle Deus quantum ex illo esse curativum, sed tantum, redemptorem.

INSTAT 3. Deus amat illud auxilium inefficax in ordine ad illum finem pœnitentiæ, quia reipsa erit, quale videtur futurum si detur homini; Ergo similiter, si eligitur hoc auxilium inefficax præ efficaci, quia Deus agnoscit futurum inefficax, si detur, & ut sit conducens ad finem pœnitentiæ, ipsa conducentia repræsentata per illam scientiam, est quæ movet voluntatem, & quæ formaliter amatur; non verò amatur ex illius intentionis, cognitio illius bonitatis.

RESPONDETUR. Negando quod amet Deus auxilium inefficax ob finem pœnitentiæ, vult enim quantum ex illo, ne ponatur objectum pœnitentiæ, & licet tale sit futurum auxilium, quale videtur futurum: quia tamen non illa visio tribuit illi, quod sit tale futurum, sed libera voluntas; ideo prævisio illa non facit ut sit objectum pœnitentiæ, adeoque nec facit illa prævisio, intendi efficaciter absolute pœnitentiam,

etiam ante prævisionem absolutam peccati. Et licet repræsentetur Deo illa conducentia auxilii inefficacis ad pœnitentiam, potest tamen Deus dicere: Quantum ex me, nollem ut conduceret ad pœnitentiam, licet prævideam conduceretur, ob usum libertatis humanæ in malum. Quod si Deus dicit: Nollem ut conduceret ad pœnitentiam; potest non moveri illa conducentia.

OBJICIT 3. Idem. Peccatum sub conditione futurum est forma, ratione cuius Deus eligit illud auxilium ad finem illum pœnitentiæ; non enim potest Deus amare auxilium potius in casu isto, in quo est inefficax, quam si esset efficax: nisi plus velit ut sit inefficax, quam ut sit efficax; hoc autem est velle ipsam inefficaciam, & consequenter ipsum peccatum.

RESPONDETUR 1. Nomine formæ intelligitur hic motivum, nego autem, quod peccatum sub conditione futurum, sit motivum eligendi inefficacis auxilii; negoque haberi fundamentum, quod plus tunc velit Deus illud auxilium esse inefficax, quam ut sit efficax: nec hoc aut supra evictum, aut hic probatum est. *Hæc prima Responsio*

SUPPONIT 1. Duplex cogitari posse decretum conditionatum. Primo, vi cuius nullus ponatur actus, sed remittatur postea ponendus: secundò, vi cuius, licet sub conditione, ponatur tamen actus.

SUPPONIT 2. Decretum istud fuisse quidem conditionatum, defacto tamen positum. Ratio: quia ex una parte, sicut ipsa prædefinitiones per nos dantur, quamvis procedant non nisi ex prævisa suppositione conditionata: ita potest dari & decretum: ex altera parte, quia nisi tale decretum ponatur, non erit decretum de Incarnatione, sed potius discernibile.

SUPPONIT 3. Unde hoc oriatur, quod supposito, quod Deus non absolute, sed sub conditione velit esse Redemptorem curativum, velit quantum ex illo, ne sit peccatum, sincereque applicet media: quod tamen non contingeret, si absolute illum voluisset? Hoc imprimis exinde est, quia ipsum redemptorem curativum, quantum est illo, nolle esse curativum, sed vult non nisi ex suppositione peccati; si ergo nolle esse Redemptorem curativum, sed potius præservativum: quomodo vult quantum ex illo peccatum? & quomodo non sincere, quantum ex illo, applicat media? Rursus quia volendo Redemptorem curativum sub conditione, displicet sibi in illa conditione, velletque illam ipsam conditionem, non esse, quantum ex illo, quomodo ergo dicendus erit velle peccatum, vel non sincere, quantum ex illo agere? Denique quia si Deus vellet absolute redemptorem curativum, independentem ab absolute prævisio peccato, hoc ipso deberet velle peccatum, tanquam objectum illius Redemptoris curativi,

tivi, non prævisum nec præparatum ab alio; sed si velit Deus redemptorem curativum efficaciter, supposito tamen conditionato peccato, jam à defectibili libertate proviso, non erit necesse ut Deus velit, vel curet fieri peccatum; sed potest ab illo detertere: sicut deterrebat conditionatè, ne poneretur conditionatum peccatum.

INSTABIS. Reprobatio non formatur per nos etiam ex prævisio conditionatè peccato, ergo nec debet formari redemptor curativus.

RESPONDETUR. Quia quamvis etiam posita tali reprobatione salvaretur & libertas peccandi, & voluntas sincerè salvandi, ipsum tamen quod vellet Deus objectum, esset parum conforme misericordiæ ejus, esset enim objectum illius passiva reprobatio, quod est malum: jam autem objectum illius actus, volo esse redemptorem curativum si homo peccaverit, est objectum conforme misericordiæ divino cordi, misericordia autem super exaltat judicium. *Sed ad objectionem*

RESPONDERI potest 2. Quando Deus sincerè applicat media, applicat ut possit frustrari objectum illius voluntatis, volentis sub conditione redemptorem curativum, deposcente id libertate humana, sed non applicat ut frustratur actu; agit enim hoc cum prævisione quod non sit frustrandus, quod sufficit ad efficacem voluntatem; potestq; applicare media, ut possit non dari redemptor curativus, cum prævisione quod sit dandus: Sicut potest aliquis dare consilium, ut possit non fieri objectum efficaciter desideratum: modò sciat tamen futurum. Concedo quidem, quod si daret auxilium efficax ne peccet Adamus, impediretur actu ille finis; sed non impeditur, quamvis det auxilium ut possit non peccare Adamus; quod autè non det auxilium efficax cum possit dare, rejiciendum in illud Pauli, *O altitudo*. Potest etiam percipi, quomodo Deus habere possit intentionem efficacem Christi ut Redemptoris, habendo inefficacem voluntatem carentiæ peccati; quia vult illum efficaciter, non nisi ex suppositione facti peccati sub conditione. Et quia ipsam conditionem non vult, licet inefficaciter, ideo habet inefficacem voluntatem carentiæ peccati; nec habet ita efficacem voluntatè redemptoris curativi, ut quantum ex illo, nollit potius esse curativum, sed tantum redemptorem præservativum; possetq; tali prædestinatione Christi posita, velle Deus auxilium inefficax, non motivo utilitatis ad illum finem quantum ex illo, sed posset velle, prævidendo, quod cum illo non sit actu operaturus, potestq; hanc repræsentatam rationem motivam refellere, quantum ad suum velle, licet sciat conjungendam illi securitatem peccati. Negoque quod eo ipso debuit se determinare Deus ad dandum auxilium, quia est inefficax; nego item quod ex hac intentione eligat medium, quod est auxilium inefficax:

nego quod amet auxilium inefficax ex intentione, quia inefficax & conducens ad finem, qui est redemptor curativus. Dico ulterius quod Deus auxilium illud, etiam ex suppositione talis prædefinitionis, velit esse efficax, quantum ex illo, licet sciat non fore efficax; per quod salvatur, quod teneat adhuc prior intentio prævoliti redemptoris curativi.

Post hæc omnia, totum hunc tractatum, posset aliquis hac viâ defendere. Quod, quamvis non appareat clarè ex autoritate sacra, an Christus sit decretus independentè à prævisio absolute peccato, quod tamè decerni potuerit; ad eum planè modum, quo in materia de Sacramentis defenditur, quamvis non appareat quod Sacramenta defacto causent physicè gratiam, quod tamen causare possint.

QUÆSTIO II.

De motivo decernendæ Incarnationis, quod est: Meritum Christi.

CAUSAM meritoriam revoco ad disputationem de decreto Incarnationis, quia meritum concurret in suo genere ad decretum, estque causâ motiva illius; hinc præsens quæstio inquit, quid possint merita ad decernendam Incarnationem? Porro quibus posset tribui ratio merendi decretum Incarnationis, sunt: Christus ipse, Beatissima, sancti Patres, & Antecessores Christi.

Quod attinet ad meritum Christi de duobus potissimum procedere potest difficultas: 1. an sibi unionem meruerit? 2. an meruerit ut eligeretur hæc in individuo Beatissima in Matrem illius? A quo posteriori incipiendo, consentiunt non pauci, excepto Lorca, quod Christus id meruerit. Sed unum in hoc puncto, difficile est; quia scilicet, antequam præsupponatur Christus meruisse ut hæc sua foret Mater, jam in ante præsupponebatur habuisse Matrem; idque ideo, quia merita posteriora sunt existentia, jam autem habere Matrem, prius fuit existentia Christi: Ergo per merita quæ sunt posteriora, & Matre, & existentia Christi, non poterat id mereri Christus. Quod autem habere Matrem, sit prius existentia Christi. Ratio est; quia principia existentia Christi, præsupponuntur existentia Christi priora, omnis enim causa præsupponitur suo effectui prior: Ergo & principia existentia Christi, præsupponuntur priora, existentia Christi; Mater autem, est principium existentia Christi, utpotè veri Filii sui. Refert Lugo disp. 8. Sect. 5. varias de hoc sententias & explicationes, quas etiam attingit Amicus disp. 26. Sect. 10. & uterque illas refellit. Vide eosdem. De eadem materia sit